

Or. 532, 30

B. m.

IIa
1268

C. D.

THESES MISCELLANÆ,

quas

PRÆSIDE

(X 1853682)

DN. M. CHRISTO-
PHORO VOGELIO,

Gymnafii Zittaviensis Rectore benè me-
rentiffimo, Præceptore fuo omnis ho-
noris cultu profequendo;

Ad diem XXI. Septembr.

A. O. R. M. DC. LXXVI

*in Auditorio Primo
ab VIII. matutina*

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Loco Speciminis Valedictorii
placidæ difquifitioni

offert

Christian Klinger / Z.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLÉ
GARE



GORLICI

Typis CHRISTOPHORI ZIPPERI.

3



102



B. C. D.
THESIS I.

Genitivus apud Latinos tantum regitur à Nomine Substantivo, eoque vel expresso vel suppresso.

§. I.

Genitivum etiam à variis nominibus *Adjectivis, Verbis, & Adverbiis* regi, usitatissima hactenus fuit sententia; qui tamen non ab istis *Adjectivis, Verbis, & Adverbiis*, sed semper à nomine *Substantivo, eoque vel expresso, vel suppresso*; aut etiam per *Cracismum à Prepositione EN, vel particulâ EVEN& suppressâ*, dependet.

§. 2. Inspiciamus primò nomina *Adjectiva*, complendiq; rationem in illis experiamur. Cum dicitur: *Hominum alii boni, alii mali*: ellipticòs id ipsum fit, pro, *Ex numero hominum alii boni &c.* Sic cum *Horatius* ait: *Integer Vita, scelerisq; purus*: Subaudi *causa vel gratia*, nempe; *Integer Vita causâ, vel gratiâ*, quod idem valet ac, *quod ad vitam attinet.* Nec minus *Ἐμειψίς* est in his: *Demænetus amans est uxoris.* Cum enim *amans* sit adjectivum, necesse est in eo subaudiri substantivum, quod est *homo*; ita ut integre dicatur: *Demænetus est homo amans uxoris.* Hæ duæ voces autem, *Homo amans*, uti apud *Plautum Pænul. 3, 1, & 2.* & *Pseudol. 1, 3, & 88.* videre est, nominis substantivi vim habent. quod est, *Amator.* Unde conficitur, *Genitivum uxoris à nomine substantivo regi.* Juxta *Scioppii* tamen sententiam, in hoc & similibus exemplis patrius casus à nomine substantivo formali regitur, quod in adjectivo latet, & est h. l. *Amor*, ut, *Amans amorem uxoris.* Sic: *si-tiens sitim fama.* &c. vid. *Gram. Philosoph. l. 1. part. II. c. III.* & *Auctar. ad Gram. Rudiment. III.* nec non *G. J. Vosf. lib. de Construct. c. IX.* Item in hoc *Terentii*; *Plenus rimarum*; pro quo absq; figura esset: *plenus à re rimarum.* Ita, *dives pecoris*, pro, *dives ex re pecoris.* Est enim *res rimarum* idem, quod *rima ipsa, res pecoris, quod pecus ipsum.* Quæ *Ἐμειψίς* nemini absurda & ἀσύστατος videatur, cum boni Scriptores integrè quoq; sic loqui ament. Nam apud *Plautum*, quem *lingua Latina legem, normam & regulam Doctissimus Pareus in Præfat. Lexic. Criti.* dicit, sæpius tales legimus formulas; ut: *res voluptatum*, h. e. *ipsa voluptates, Amphitr. 2, 2, & 1.* *res amoris*, h. e. *amor, Trucul. 1, 2, & 38.* *res cibi*, h. e. *cibus*, apud eundem. Et hæc complendi ratio ubiq; locum invenit.

§. 3. Sed ad Verba pergamus. Hic verbo substantivo, cum significatur
A 2
posses-

possessio, aut ad aliquid pertinere, aut qualitas alicujus describitur, additur Genitivus, qui semper à nomine intellecto regitur: ut; *Pecus est Melibæi*, scilicet *pecus*: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere*; subaudi officium, vel munus: *Cum faciem videas, videtur esse quantus pretii sc. hominum*, vel *munus*: *Cum faciem videas, videtur esse quantus pretii sc. hominum*. Pari ratione dicitur: *sum Roma, pro, in urbe Roma*: *sum domi, pro, in adibus domi*. Ita cum apud Terentium legitur: *Faciam, ut hujus loci, dieiq; semper memineris*; intelligendum est *memoriam*; ita ut sit; *faciam, ut memineris memoriam hujus loci &c.* Et recordatio vel simile quid in hoc: *Venit mihi in mentem hujus rei sc. recordatio*. In verbis autem aestimandi ubiq; supprimitur substantivum τὸ pretium; v. g. *magni aestimabat pecuniam, h. e. pro pretio magni aris aestimabat*: In verbis accusandi, τὸ crimen; v. g. *qui alterum incusat probri &c.* h. e. *qui incusat de crimine probri &c.* Plura hujus generis exempla adducere supersedeo.

§. 4. Experiamur id ipsum etiam in Adverbiis, quibus quoq; Genitivum addunt; præcipuè iis, quæ copiam & inopiam, locum & Tempus denotant, aut superlativi gradus sunt; in quibus tamen itidem Genitivus à nomine suppresso regitur; ut in isto Salustii: *Satis eloquentia, Sipientia parum*: Genitivus est à præterito Substantivo *res* vel *negotium*, nim. *Satis res eloquentia, parum negotium sapientia*. Et quia naturâ suâ nomina adjectiva videntur *Satis, sate*, ex quo per Apocopen *Sat, Magis, Mage, Abunde, Parum*; utiq; necesse est, subaudiri in iis nomen substantivum. *Partim & Ergo* verò sunt pura nomina substantiva, adeoq; regulariter cum Genitivo construuntur. Est enim *Partim* antiquè pro *partem*; *Ergo* autem Dativus vel Ablativus à Græco ἐργον. Porro; *Ubi terrarum, ubinam gentium, longè gentium*, ellipticè dicuntur, pro, *in quo loco terrarum &c.* Sic; *huc dementia pervenit*, pro, *ad hoc negotium dementia*: *Huc* antiquè pro *hoc*, ut in *adhuc*, quod haud dubiè idem ac, *ad hoc sc. tempus*. *Interea loci, tunc temporis*, pro, *inter ea negotia loci, tunc in re temporis*. Sic *Pridie & Postridie* vi nominis, cum quo sunt composita, itidem Genitivum adsciscunt; ut: *Pridie Calendarum, Postridie Iduum*, h. e. *Priori die Calendarum, posteriori die Iduum*. Deniq; *Pulcherrimè omnium Stetit*, dicitur, pro, *ex numero omnium pulcherrimè stetit*. &c.

THESIS II.

Ablativus apud eosdem Latinos non nisi à Præpositione regitur, eâq; etiam vel expressâ, vel suppressâ.

§. 1. Eandem quam Genitivus agram subiit etiam Ablativus, quem non tantum à Præpositione, sed à nominibus quoq; & verbis regi hæctenus crediderunt;

tunt; cum non nisi à Præpositione regatur, quam etiam interdum in probatis Autoribus additam videmus. Sic, *lassus curâ* dicitur, pro, *lassus à curâ*; *In- victus labore*, pro *in victus à labore*. Ita in Comparativis adsciscitibus Ablativum subintelligitur Præpositio præ, ut: *Vilius argentum est auro*, *Virtutibus aurum*; h. e. *præ auro*, *præ Virtutibus*. Sic *Dignus*, *Contentus* & cætera hujus regulæ Ablativum asciscunt interventu præpositionis, quam Cicero in *Lælia* adjecit, inquit: *De his communis vita contenta est. Opus quoque*, quod planè substantivum; ablativo junctum, ἐπιπρινὸν est, & exponi potest per *Opera*, *labor*, *negotium*; ut apud Virgilium: *Nunc animis opus*, *Ænea*, *nunc pectore firmo*: pro, *Nunc opus est in animis* &c. h. e. *Opera*, *labor*, vel *negotium in animis* &c. vid. *Voss. lib. cit. c. IIX. Sciop. lib. cit. c. 13.*

§. 2. Ad Verba Ablativum amantia progredior. His jungitur Ablativus *Causæ*, *Instrumenti*, *Modi*, *Partis*, *Excessus* &c. qui semper vi præpositionis præteritæ, *A*, *Ab*, *De*, *E*, *Ex*, *Præ*, *Cum*, illis additur, quæ quandoque etiam expressa legitur: ut apud Cicero. *III. Offic. Ut res nummaria de communi sententiâ constitueretur*. Item: *Virgil. 7. Æn: Solito matrum de more locuta est*. Deinde, Verbis *copia* & *inopia* junctus, dependet à suppressâ præpositione *A*, *De*, *Ex*. ut: *Redundat sanguine*, pro, *à sanguine*: *Verbis mercandi, æstimandi*, & his similibus, à præpositione *pro*, ut; *spem pretio non emo*, h. e. *pro pretio*: it. *Haud illi stabunt Æneia parvo hospitia*, h. e. *pro parvo pretio*. In his verò, *Utor*, *Fruor*, *Fungor* &c. Semper subaudiendum nomen substantivum formale cum præpositione, v. g. *Utor usum ex vino*; *fruur fructum ex studiis* &c. Et in istis Ablativis, qui absolute poni dicuntur, quoties consequentiam designant, intelligitur *A* vel *Ab*, eâ significatione, qua significat *post*; ut, *à prandio*, i. e. *post prandium*, *à meridie*, i. e. *post meridiem*. Ergo cum dicitur: *Oppressâ libertate patria nihil est, quod amplius speremus*: complendum erit hoc modo: *ab oppressâ libertate*; i. e. *post oppressam libertatem* &c. Ubi verò participium est Præteriti temporis, subauditur *in* vel *sub*; ut: *Imperante Maximiliano*, pro, *sub imperante Maximiliano* &c. Ablativus denique significans aliquid esse vel fieri in loco aut tempore; nec non motum à loco denotans, similiter à Præpositione, *In*, *A*, *De*, *Ex*, *Cum*, regitur, quæ, uti brevitas & elegantie causa præteritur, ita juxta nativum sermonem apponitur: v. g. *Ovidius natus Sulmone*, pro, *in Sulmone*: Sic, *Totâ Asiâ vagatur*, pro, *in totâ Asiâ*. Apposuit eam *Cæsar l. II. Bell. Civil. Complures præterea in Hispali faciendas (naves) curavit*. Ita; *requiescit humo*, pro, *in humo*: It. *Omnia plenilunio maria purgantur*, pro, *in plenilunio*: similiter præpositio latet in sequentibus: *Venio domo*, pro, *à domo*: *Venit Româ*, pro, *à Româ*: *Rediit exilio*, pro, *ab exilio*. Plura vid. apud *Sciopp. & Voss.*

THESIS III.

*Frequens illa Enallage, s. Heterosis modi est
mera locutio Elliptica.*

§. 1. Quoties enim Infinitivus pro alio tempore positus legitur, subintelligendum venit aliud verbum, à quo regitur, quod per Ellipsin reticetur. Hanc Ellipsin cum non observarint, introduxerunt aliam figuram, nempe *Enallagen*, qua locutiones ejusmodi defenderent. Est vero verbum istud suppressum *cæpi*, quo veteres in narrationibus usi sunt frequentissimè; quod deinde in iisdem, infinitivo nudèposito, reticere cœperunt. Quare; *Facile omnes perferre ac pati;* ellipticè dicitur, pro quo integrè dicendum: *perferre ac pati cæpit.*

§. 2. Veteribus autem locutiones integras fuisse, evolutis Classicis Autoribus patet. Nam, *Inficias ire cæpit*, pro, *Inficias ibat*, *Plautus* habet, *Bacch.* 2, 3. *Clam operam dare cæpit*, pro, *operam dabat*, *Corn. Nepos* 9, 5, 2. *Perturbatus orare cæpit*, pro, *orabat*, *Idem* 4, 4, 5. *Cum Olympias prohiberi finibus cæpisset*, pro, *cum prohiberetur*, *Justin.* 4, 5, 9. Pertinet huc & illud *Virgiliti*: *sin in processu cæpit crudescere morbus.* III. *Georg.* Usitatissima autem est hæc loquendi formula apud *Petronium*: *Hinc pag. 3. lin. 24. Edit. Lotich.* legitur: *Cursim Ascylton persequi cæpi;* pro, *persecutus sum.* *lin. 29. ead. pag.* *Consurrexitq; cæpit me præcedere;* pro, *præcessit*: Et iterum *hac ipsa pag. lin. 35. Fugere cæpi;* pro, *fugi.* Atq; hunc loquendi modum non tam Græcis in Novo Testamento, quam Hebræis in Veteri familiarem fuisse, eleganter docet *Erhardus Goldastinus in Symbolis*, teste *J. P. Lotichio in Notis ad Petron.*

§. 3. Quod si tamen quispiam alicubi & aliud verbum subaudire velit, non repugnabo: siquidem *Doctissimus* etiam *Buchnerus Thesauro Fabri* inter cætera hæc quoq; inseruit: *Incipere facere, pro facere, non raro ponere Auctores Latinos, Viri docti jam olim observarunt: quemadmodum instituere seu insistere facere, pro facere, idem dicunt.*

THESIS IV.

*Conversio per Contrapositionem æquè certa &
utilis est, ac reliquæ duæ species, nempe Simplex,
& per Accidens.*

§. 1. Quod hæc conversio certa fit, patet inde, quia in hac ipsa æquè ac in speciebus Aristotelicis Canon ille de Conversione traditus, locum invenit, nimirum; *A conversa ad convertentem valet consequentia.* Quare si vera est conversa: *O. Triangulum habet tres duobus rectis æquales:* etiam vera est ejus convertens: *Q. non habet tres duobus rectis æquales, non est Triangulum;* seu, *N.*

non

non habens tres duobus rectis æquales, est Triangulum. Item in Particularibus; si Q. Triangulum non est rectangulum, etiam Q. non rectangulum est Triangulum.

§. 2. Utilem verò esse liquet, quia multum facit ad reductionem Syllogismorum, præsertim secundæ figuræ, id quod eleganter ostendit *Excell. Dn. Thomasius in Erotemat. Logic. c. 43.* Præter vulgarem enim reducendi modum minus vulgarem exhibet, in quo beneficio hujus conversionis etiam Ostensivè ad Primam Figuram duos modos *Camestres & Baroco* reducit. v. g.

O. habens tres duobus rectis æquales, est Triangulum.

N. quadrangulum est Triangulum. E.

N. quadrangulum habet tres duobus rectis æquales.

Reducitur ad Primam h. m.

N. non-Triangulum habet tres duobus rectis æquales.

N. quadrangulum est Triangulum. E.

N. quadrangulum habet tres duobus rectis æquales.

Minor Propositio pro affirmativa habetur, quia idem valet ac, O. quadrangulum est non triangulum. Nam à negativa finiti prædicati, ad affirmativam infiniti prædicati V. C.

Porro: O. Magnes trahit ferrum.

Q. lapis non trahit ferrum. E.

Q. lapis non est magnes.

Reducitur Ostensivè ad Primam h. m.

N. non trahens ferrum, est magnes.

Q. lapis non trahit ferrum. E.

Q. lapis non est magnes.

§. 3. Converuntur autem per Contrapositionem non modo universalis affirmans, & particularis negans; sed etiam universalis negans; convertens tamen fit particularis: e. g.

Si N. album est nigrum. Ergo,

Q. non nigrum est album.

Non fallere verò hanc conversionem vi subalternationis ita probamus:

Si N. a. est β. Etiam

Q. a. non est β. Ergo:

Q. non β. est a.

THE-

THESIS V.

Ex Majore particulari negante, & Minore universali affirmante, in secundâ Figura, in quavis materia rectè potest concludi.

§. 1. Thesin nostram veram esse, inde patet, quia beneficio æquipollentia, conversionis, & consecutionis ad legitimam, vulgoq; receptam figuram hic modus potest reduci; v. g.

Q. α . non est β .

O. γ . est β . Ergo.

Q. non γ . est α .

Seu mavis in materiâ:

Q. Triangulum non est æquilaterum.

O æquiangulum est æquilaterum. E.

Q. non æquiangulum est triangulum.

Minor Propositio convertatur per Contrapositionem, si O. γ . est β . Ergo; N. non β . est γ . Seu: si O. æquiangulum est æquilaterum: Ergo; N. non æquilaterum est æquiangulum. Majoris autem ponatur consequentia; Q. α . non est β . Ergo; etiam Q. α . est non β . seu: Q. triangulum non est æquilaterum & E. Q. triangulum est non æquilaterum. Hac propositione loco Minoris; & hujus convertente loco Majoris posita, fit talis Syllogismus in Ferio prima Figura:

N. non β . est γ .

Q. α . est non β . E.

Q. α . non est γ .

Seu:

N. non æquilaterum est æquiangulum.

Q. triangulum est non æquilaterum. E.

Q. triangulum non est æquiangulum.

Hanc conclusionem si convertes per Contrapositionem, habebis legitimam superioris positam; nimirum; Q. α . non est γ . Ergo. Q. non γ . est α . seu: Q. triangulum non est æquiangulum, E. Q. non æquiangulum est triangulum.

THESIS VI.

Ex Majore universali, & Minore Excludivâ, utraq; affirmante, in primâ Figurâ, sequitur particularis affirmans.

§. 1. Ex-

§. 1. Exclufivam affirmantem hic voco propositionem, in quâ particula negativa copulam haud afficit; quamvis non ignorem, communiter talem dici, in quâ nulla negatio particulam exclufivam antecedit; ac proinde *affirmans* est:

Solum α . est β . *Negativa* verò; *Solum* α . non est β .

§. 2. Forma ergo argumentandi hæc est:

O. α . est β .

Solum γ . est α . *E.*

Q. γ . est β .

Non fallere autem hanc, inde constat, quia si Minor *inversa* convertitur per accidens, locoq; *exclusiva* ponitur, fit *Syllogismus* in *Darii* prima figura. Nimirum, *Solum* γ . est α . *Inversè*: *O.* α . est γ . (*Exclusivam affirmantem enim sequi inversè universalem affirmantem puram, supponimus.*) *Convert.* per accid. *Q.* γ . est α . Hinc:

O. α . est β .

Q. γ . est α . *E.*

Q. γ . est β .

THESIS VII.

Montes & valles non turbant telluris rotunditatem.

§. 1. Non cylindricam, aut cubicam; sed rotundam terræ esse figuram, probant cum successiva regionum se continuo insequentium detectio, successioq; ortus aut occasus stellarum tardioris aut maturioris; tum Poli elevatio aut depressio, Ecclipsesq; lunares.

§. 2. Dupliciter verò aliquid rotundum esse deprehendimus, *perfectè* scilicet, & *imperfectè*; quorum illud potissimum in rebus Geometricis, indeq; *Geometricum* dicitur, & est, cum omnes radii, h. e. lineæ rectæ à centro ad circumferentiam eductæ, sunt inter se æquales: Hoc verò in rebus Physicis *spatur*, hinc & *Physicum* vocatur; & est, cum semidiametri aliæ quidem alias excedunt, ita tamen, ut excessus ratio ad corpus integrum non sit adeo notabilis. Ita tuberositas cutis in malo aurantio, licet hinc inde semidiametris ejus ad minimum addat unam partem ducentesimam; dixerim alicubi etiam centesimam, & hanc majorem, quinquagesimam; quia tamen unitatis ratio ad 50. in hoc corpore non est adeo notabilis, multo minus ad 100. aut 200. igitur eminentiis hisce neglectis malum aurantium physicè rotundum esse dicimus.

§. 3. Pari ratione etiam si terricolis prope constitutis immane quantum assurgere, planitiemq; turbare videantur montes & telluris eminentiæ; factâ ta-

B

men

non comparatione, montes ad totum terræ corpus referendo; deprehendemus, minorem esse harum rugarum rationem ad corpus terræ, quam tuberositatum in malo aurantio ad suum totum.

§. 4. Nam cum in circulo maximo uni gradui respondeant quindecim miliaria Germanica; gradus verò in quovis circulo sint 360. circumferentia globi terraquei facillè innotescet. In hunc numerum enim miliaria uni gradui respondentia multiplicata, largiuntur quæsitum, sc. 360. per 15. miliaria, dant 5400. mill. quæ est circumferentia globi terraquei. Jam quia inter circumferentiam & diametrum prope verum hæc est ratio, quæ inter 22. & 7. ideo facillè negotio diameter reperitur; nim. 22 dant 7. quid 5400? $\text{np. } 1718 \frac{2}{11}$. Erit semidiameter $859 \frac{1}{11}$. pro quo tamen communiter assumitur numerus rotundus, sc. 860. Hæc terræ diameter nim. 1720. ducta in circumferentiam 5400. producit convexitatem ejus, 9288000. mill. Germ. quadr. Et semidiametro 860. ductâ in tertiam partem convexitatis 3096000. prodit corpulentia, 2662560000. mill. Germ. cubic. Atq; hæc est terræ nostræ magnitudo.

§. 5. Observarunt deinde, altissimos etiam montes non habere majorem altitudinem, quam unius miliaris cum dimidio, & ad summum, duorum miliarium. Erit igitur ratio Sdt. ad altitudinem montis ut $1 \frac{1}{2}$ ad 860. vel, 2. ad 860. i. e. I. ad 430. ratio non adeo sensibilis. Quod si montes instar corporis hemisphærici, (quam figuram sæpius æmulantur,) concepiamus; erit magnitudo juxta hyp. 2. mill. qua superficiem, ut 25. ad 9288000. h. e. ut I. ad 371520. qua soliditatem s. corpulentiam, ut 17. ad 2662560000. h. e. ut I. ad 156621176. Hæc sive augeantur, sive minuantur in materialibus unitate, parum sentitur, aut sensu discernitur. Ac proinde montes telluris rotunditatem non magis turbant, quam asperitates quædam in globis manu factis, horum globorum rotunditatem. Nullum quippe in tota rerum natura corpus dari potest, quod exactè & Geometricè rotundum dici queat.

THESIS VIII.

Terra respectu cæli, præsertim supremi, est instar puncti.

1. Hoc ipsum Aristoteles jam suo tempore agnovit; hinc lib. 1. Meteorolog. c. 14. ita scribit: *Terra moles & magnitudo nihil omnino est ad totum cælum.* Dicitur verò unumquodq; *magnum* vel *non magnum* dupliciter. nim. *absolute* & *comparatè*. Ita *absolute magnum* quid est *Linea, Superficies, Corpus*; *Non magnum*; *Punctum*, quod tamen magnitudinis principium est. *Comparatè magnum* quid, *Linea* 100. perticarum respectu lineæ 5. perticarum, quam parvam dicimus. *Comparatè non magnum* verò est, quod à suo comparato in tantum deficit, ut defectus exprimendus sit tali numero, qui ab intellectu nostro per-

perfectè comprehendi nequit, & hoc quasi in summo gradu, aut κατ' ἐξοχὴν
non magnum, & instar puncti dicimus.

§. 2. Ita terra absolute spectata sanè punctum non est, sed satis magna, &
in infinitum divisibilis. Comparatè autem & magna, & non-magna est. Ma-
gna est ad hominis staturam comparata, nec non respectu quorundam corporum
caelestium, sc. Luna, Mercurii, & secundum nonnullos, etiam Veneris: Non
magna collata cum Sole, Jove, Saturno & Marte; & quod hic dicimus, puncti
instar ad amplissimum expansum stellarum fixarum comparata; quod inde pa-
tet, quia ubiq; locorum in plano integrum ad sensum videtur hemisphærium; nec
non duorum siderum quorumcunq; diametraliter oppositorum uno in occasu con-
stitutis, alterum oritur. vid. *Præclar. Dn. Præsid. Disput. de Magnit. Tell. Th. 49.*

THESIS IX.

*Fluvii & Maria non rarò relinquunt alveos
prioris, & Continentes mutant in Insulas & Pen-
insulas; iterumq; vice versa Insulas & Peninsu-
las in Continentes.*

§. 1. Ita *Rhenus* Leydam quondam præterfluens, in Oceanum Germanicum
exonerabatur, cujus alveus jam ante aliquot secula ab aqua desertus, terra est, sta-
gnante Rheno inter Leydam & Cattorum vicum, vulgo Cattvvyck. Unam fuis-
se continentem cum reliqua Græcia *Agrum Trojanum*; autor est *Pet. Laurem-
burgius*, qui tamen postea interventu Archipelagi, & Maris Mediterranei ab ea
disjunctus fuit. Similiter *Siciliam* Peninsulam olim, contiguam Ausonum terræ,
majore impetu superi maris ab eâ scissam refert præter *Justinum* 4, l. etiam *Ge-
org. Fourn: Geogr. Orb. not. l. 9. c. 13.* Oceani autem sedem olim fuisse, ubi nunc
est *Ægyptus*, antiquorum testimonium, & hodierna comprobatur experientia. Mis-
so *Aristotele*, cujus verba citat *Varenius*, *Senecam* placet adducere de hac ipsa
sic scribentem: *Ægyptus ex limo tota concrevit. Tantum enim (si Homero si-
des,) aberat à continenti Pharos, quantum navis diurno cursu metiri plenis
lata velis potest: sed continenti admota est.* Ita quoq; *Hollandia, Zeelandia,
& Geldria* natæ sunt: nam olim illuviem aquarum hæc telluris partes obrutas
tenuisse, patet cum ex vetustis historiarum monumentis, tum ex ipsius terræ qua-
litate. Causis hujus mutationis exhibet laudatus *Varenius Geogr. Gen. l. 1. c.
18. Pr. 5. & 9.* *Zeelandia* tamen, cum aliquandiu continens fuisset, iterum ma-
ris violentia A. C. 1438, in Insulas 15. dirempta est, quarum hodie tantum 7. su-
persunt, eaq; aggeribus validissimis, & immensis sumptibus agrè sustentantur.
Reliquæ maris æstu & inundationibus successu temporis, imprimis A. 1530, ut &
32. unâ cum civitatibus & pagis absorptæ sunt, referente *David. Fraëlichio in Bi-
blioth. Peregrinant Part, Post. l. 1. c. 6. n. 252.*

THE-

AK Tha 1268
THESIS X.

Ad cœli nos ambientis, soliq; genium homo nascitur, animiq; habitus conformatur.


§. 1. Hinc populi *Australes*, quorum vertices proprius perstringit solis æstivi orbita; corpore debiles pollent ingenio; timidi, ac pauci cibi & potus sunt, majoremq; in voluptatum fruitione, quam aliarum rerum studio libidinem habent: & ex hac effœminata virtutis mollitie sunt mansueti, tractabiles, ad patiendum servitutis jugum indole demissâ; nec non turpissimis animorum qualitatibus, ut tristitiæ, malitiæ, fraudulentæ, invidiæ, crudelitatiq; obnoxii. *Septentrionales*, contra ut hebetiore sunt ingenio; ita robustiore sunt corpore, animosioresq; & audaciores *Australibus*; & dum copiosiore potu & cibo sese ingurgitant, *Australium* rudes deliciarum, minus in victu cultuq; corporis sunt soluti ac molles. Animorum quoq; motus constantes ipsis, insunt, in quo obfirmato mentis robore ferocia, morumq; immitium quædam asperitas habitat, à cultu humanitatis, præstandisq; obsequiis alienior. Hæc *Austrini Borealisq; cœli* est natura: quàm eo magis, quisq; trahit, quo ad exteriores calorum frigorumq; regiones magis accedit.

§. 2. Ut verò *Cœli*; ita *Soli glebæq; natalis* habitudo ad mores hominum formandos multum facit. Quemadmodum enim salem referunt in salo nati pisces; ita ad natalis solis Spiritum & indolem effinguntur homines, & quas natura istis implantavit, in illas cupiditates animorum plerumq; feruntur impetu, proclivesq; ad certa actionum genera redduntur. Virtutibus enim vitiisq; fenestram quasi patefacit indoles & Spiritus locorum regionumq; ubi nasci contingit. Perpendens hoc iste Philosophorum apex *Plato*, gratias agebat superis, quod Græciam sibi concessissent patriam, Athenisq; nasci voluissent, ubi sapientiæ præceptis, & virtutum exemplis in dies melior reddatur.

§. 3. Sic effœminat homines, & in omnem luxuriam resolvit soli natalis ubertas, & glebæ feracis opulentia; contra in sterili glebâ incolarum virtus & industria damna soli ut plurimum compensat. Arborum etiam umbracula solo æquali, mitia ingenia præstant hominum, quorum in locis planis & apricis, ad omnem auræ violentiam patentibus, asperior est indoles: Et montes quoq; horrentibus asperè cautibus, militem gignunt ad tractanda arma validum ac expeditum, ad ferendos castrorum labores obduratum, non deficientem itinerum molestiis, non metuentem truces hostium vultus. Plura vid, apud *Bodin. & Neuhuf.*



107



Farbkarte #13

B.I.G.

Ar. 532, 30

B. m.

IIa
1268

C. D.

THESES MISCELLANÆ,

quas

PRÆSIDE

DN. M. CHRISTO-
PHORO VOGELIO,

Gymnasii Zittaviensis Rectore benè me-
rentissimo, Præceptore suo omnisho-
noris cultu prosequendo;

Ad diem XX Septembr.

A. O. R. M. DC. LXXVI

in Auditorio Primo

ab VIII. matutina

Loco Speciminis Valedictorii
placidæ disquisitioni

offert

Christian Klinger / Z.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLS
GARTEN

GORLICI

Typis CHRISTOPHORI ZIPPERI.